

## INTEGRORVM.

versus sinistram, primum est in enūciatione, & quod primū est ad partem dextrā, in enūciatione est vltimum. Numerus ergo paulò ante propositus ita pronuntiabitur. Primum mēbrū 42. sic. Quadraginta duo millia, millies, millies, millies, ita vt vox [mille] quater audiatur, propter quatuor membra, quæ hoc, quod enunciatur, subsequuntur.

Secundum membrum 329. hoc modo. Trecenta, viginti nouem millia, millies, millies.

Tertium membrum 089. ita. Octoginta nouem millia, millies.

Quartum mēbrum 562. sic. Quingēta, sexaginta duo millia.

Quintum denique membrum 800. hoc pacto. Octingenta.

Facilior adhuc reddetur numeratio, si pro primo puncto ponatur 0. & 1. pro secundo puncto, & 2. pro tertio, & 3. pro quarto, & ita deinceps, vt hic in eodem exemplo factum esse vides.

4	3	2	1	0									
4	2	3	2	9	0	8	9	5	6	2	8	0	0

Hac enim ratione facile intelligitur, quoties vox [mille] apponenda sit in cuiusque membri enunciatione. Toties enim proferenda est, quot vnitates in figurâ, quæ supra membrum pronuntiandum posita est, continentur.

Iam verò si more Italorum millena millia appellare velimus Millionses, paucioribus verbis, & fortassè significantiùs, numerū quęcunq; propositum exprimemus, si in maiora eum membra distribuamus, hoc, qui sequitur